

### III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 28.

---

Elysium-Meum. Die Martis. 1. May. 1810. (Ness. 13. Apr. 1810.)

---

Eos seu Aurora.

Novum Phenomenon in Horizonte.

*A n n u n c i a t i o.*

Reapse nova Eos, seu Aurora comparet in Germania, Ubi ea est? in Coelo? nequam — est ea in Germanico solo.

Quid quæso erat Eos seu Aurora veteribus? Erat ea filia Hyperionis & Thia, quorum proles præterea Helios & Selene, seu Sol & Luna. Illa, Aurora, juvenili decore nitet elegantiaque; quæ etiam ratio quod sub ejus effigie Matutinum tempus, seu primitiæ diei personæ instar exhibeantur. — Seduxit ea Tithonem impetravitque pro eo immortalitatem, quod donum admodum molestum ei erat, quod ætate & viribus fractus fuerat. Robur juvenile communicare ei nequivit, quapropter eum in cantantem locustam transformavit, ad hoc respexit poetica descriptio: quod Aurora quovis mane Tithonis lecto egrediatur in Coelo fulsura, Orion & Cliton quoque ejus erant Clientes.

Depingitur ceu foemina illecebris juventutis exornata. — Roseis digitis velum noctis tollit: facem præterea manu prehendit. Ei imminet vel præcedit Lucifer, seu Ve-

rus quam Postæ filium ejus fingunt. Curru vecta Oceano egreditur, quem auream alati equi Lampus & Phaeton trahunt.

Utrum hodierna Eos, qua Ephemeris quæ nihil cum Politica negotii habet, aureis vehenda quadrigis, id quidem arduum est dirimere. — Utinam argenteo tantum feratur! Interim jam primis, quæ editæ, paginis tam diversi generis argumenta continebat, ut nisi in itineratione sua nimium expenderit, saltem impensas rehabere possit. Merces operarum & chartæ pretium hodie crevit in immensum. *Verum Aurora Musis amica!*

Memorabilis Articulus in ea legi potest sub pomposo titulo: *Magna inventio Sæculi XIX*, ita sunt verba & seqv. Oratio:

„Colloco me in cogitandi rationem Anni 1840 quid cerno? Cerno integras militares legiones fustem exhibentes, video integras Chyrurgorum tribus, fabrorum gladio-ram & scloporum, sustentationis mediis destitutorum oberrantes, Centena millia in martiali campo fastibus pugnantis, elevato fuste video ut se mutuo impetant, video peditatum conteri per equitatum non gladiis sed fastibus eadentem; quod leges duellum vetantes frustra efficere adlaborabant, id eorum in effectum deducatur, — non ense, non sclopeto, sed fuste dimicabitur.

Et quæ causa immanis hujus revolutionis? Summa inventio Sæculi XIX Casselæ facta. — Gratulor me primum esse, qui eam publico annunciem. — Uberiorum adjuncto-

ram enarratio suspicionem a me amolietur, quasi res tota jocus esset, quod fortassis non-nemo expensa ejus singularitate existimare posset.

„D. Mannlich proprietarius conspicuæ fabricæ pileorum, Casselæ, jam ex aliquot annis mente concepit, textum ex pilis parandi quod trajici, transecari & transpangi non posset, sed esset invictum adversus ictus sclopi, framæ & pugionis. Plura in irritum versa tentamina viri solertiam infringere nequidquam poterant, tandem postquam multa tulit fecitque, sudavit, & alsit, vidit improbum conatum suum, successit pileorum textum quod sectioni & punctiōni resisteret. — Equidem & huic fidem denegavi, videbatur res incredibilis ac impossibilis, verum plura instituta tentamina cum præparato hac ratione humerali & galea me & plures alios, qui æque de rei veritate ambigebant, convicerunt. Validissimus, secundum ipsam artem nec vestigium in texto ictus reliquit. — Difficilius erat auctori impervium reddere ab sclopi ictu, at & hoc jam ei successit; coram pluribus personis plura tentamina facta sunt — fortiter repletum sclopetum in distantia 10 passuum explosum, glandem plumbeam ad superficiem solum ictibus & puncturis impervii texti perduxit, ut in eo adhæreret, & instar oculi præstaret. Solum sclopus striatus texto hoc perforando est.

„Hoc est factum. Abstineo ab omnibus meditationibus super ingentibus consecratis

huius detectionis. Si nomen Bertho'di Schwarz  
 Imprecationibus tam sæpe postremis Seouliis  
 patuit, sane nomen Mannlichil grata æstima-  
 taque memoria apud posteros recoletur. —  
 Sola re tormentaria pugnae posthac mortife-  
 ra fieri poterunt; & hac plures cædi quam  
 sauciari notum est. — Cæteram ex hoc tem-  
 pore prælia in innocua verberationis iuscula  
 convertentur — dummodo inventio primum  
 cunctis gentibus innotescat. Interea expen-  
 damus animo admirationem & furorera exer-  
 citus qui id genus coactilibus loriceis indutus  
 adversariis audacter fustibus adgressionem su-  
 stinet, & omnis cæsis, jaculatio punctio in-  
 anis & inefficax est. Primus hujus generis  
 actus Hogarthio dignus erit."

„Quam non modo triste sed etiam do-  
 lorosum pro iis, quos quævis tempestatis mu-  
 tatio accepti solo po aut gladio vulneris ad-  
 monet, quod 20—30 annis tardius nati non  
 fuerint! — Quam res jucunda pro omnibus  
 Neoptolemis (juvenibus hallatoribus) hodie  
 castra æquentibus! *Nunc est bibendum nunc pe-  
 de libero pulsanda tellus!*

Quod teneri amoris mater Thetis pro  
 divo comparando, dilecto nato Achille egit,  
 id auctor coagularis materis pro integris ge-  
 nerationibus præstitit.

Zinserling.

At nova Aurora Cæle politico adparuit.  
 Perfecto Conjugio Imperatoris Napoleonis  
 Conclusio Systematis Continentalis peracta  
 est. — In Germania jam modo Hannovera

& Westphalia solenniter cassa, atque ab hujus rege occupata est. Omnis spes, fore futurum: ut olim ad Angliam postliminio revertatur hac ratione evanuit, atque summe improbabilis narratio: articulum temporis nunc ipsum esse, prout ostentosa idea: Duci Brunsvicensi conferendam esse, — per id claram ad lucem deducta est. — Condito M. Ducatu Francofurt. unica ecclesiastica Monarchia abrogata, una vadimonium datum: immediatum dominatum Galliae ultra Rhenum versus Germaniam non extendendum. Verum ipsa ille princeps qui vices Imperatoris in Italia sustinet, deinceps solio hujus quoque Status potietur. Genius proin Napoleonis ad Rhenum æque ac Padum dominabitur.

Verbum argumento grave, nuper, cœdendi principii occasione, prolatum est: Quemvis Gallicum Principem qua Gallum, quantumvis alterius Status Imperantem, rationem Status Galliae primæ legi ducere debere, — an ratio status populorum a ratione Imperantis distare potest? potestne ratio Statuum tali vinculo Galliae conjunctorum aliud, quam ratio Status Galliae — potest? — denique possuntne vincula arctius ligare quam hæc?

Negotia Regni Hollandiæ quoque ad finem perducta sunt. Hollandia pro se consistens Regnum manet. Rex 12 vel 13 h. m. Amstelodami expectatur. —

In Hispaniis fieri potest: ut dominatum Anglorum, id est, barbarum & perturbatio-

nis brevi post finis imponitur. — Napoleon secundum Alpes transit, nihilominus — liceat nobis ejus adumbratione uti Leopardus aquilæ cessit. Gades nondum *formaliter* oppugnari poterunt, at polioretica arma, jam advehuntur, & tum sors infelicis hujus Penninsulæ decisa erit.

Ex Adriatici maris regione valida copiarum series erigitur, quæ hodie ad ipsam Balthici maris oram profertur. — Suecia novo Pacis Tractatu plene Continentali Systemati accessit; restitutioneque Pomeraniæ ei alligata est. Dania & Borussia confirmant ejus abstinentiæ consilia. Dania ipsi sibi prout America rigidam Interdictam imposuit & effectus adparatibus si responderint, fieri paullopost debet, ut Colonicales merces Continente excludantur.

Legitur officiosa animadversio, ut videtur, in Mercurio Svecico hujus tenoris:

*Amstelodamo 10. Apr.* Uberior Tractatus Galliam inter & Hollandiam Nro. 33. Ephem. Politico Stat. indicati deductio sequens est:

Donec Anglia Edicta sua solemniter non revocaverit, omnes Hollandiæ portus Anglis præclusi sint; 18000 militum, inter hos 6000 Gallorum ab Hollandis stenda & vestienda in litoribus exaubabunt; omnes in litoribus Hollandiæ captæ naves, præda Gallorum declarantur; ut primum Angli solemniter Edicta sua revocaverint, hæc etiam cessabunt, Galli ex Hollandia exibunt; Rhenus facit limitem Galliam inter, & Hollandiam; Rex Hollan-

die in subsidium Gallorum 9 Classias, 6  
celoces armare, & pro 6 mensibus victualibus  
providere debet, ita quidem: ut 1. Julii  
mari se committere possint, porro 100 tor-  
mentaria, aut alia bellica navigia ad litora  
parata habere. A 1. Januarii 1809 Ameri-  
canis navibus in Hollandiam adve&æ merces  
sequestro addicentur, & ad Galliam perti-  
nent. Omnia Anglica fabricata in tota Hol-  
landia prohibentur &c.

Die 31. Martii die utpote ratihabitionis  
hujus tractatus Sua Majestas Rex Hollandiæ  
Districtus Selandiam, Brabanticum, inter  
Mosam, & Vaal fluvios cum Urbibus No-  
viomago, insula Bommel, & provincia Al-  
tena Decreto Parisiis edito a fidelitatis jure-  
jurando absolvit, Gallisque tradidit.

*Stuttgarda die 11. Apr. Ephem. Monach.*  
de 5 & 7 h. m. ex Correspond. pro & ex  
Germania narrationem adoptarunt: Bona ad-  
prehensa C. Metternich erga mandatum Gal-  
lici Imp. reddenda esse. Animadversione  
profecto digna res, dum coram, & assentien-  
te illustri aula id genus narrata novis inse-  
rere; licet, tanto magis cum aulæ illi no-  
tum esse debeat, non quidem Mandata, quæ  
cum notione summorum Imperantium conciliari  
nequeunt, bene vero amicabiles petitio-  
nes Gallici Imperatoris ad aulas Monach. &  
Stuttgard. emanasse, ut in considerationem,  
occasione Conjunctionis S. M. Imp. Napo-  
leonis cum Imperatrice M. Ludovica per  
Principem a Schwarzenberg & C. a Metter-

alch præstitorum bonorum servitorum decreta adversus ambos Cæs. Austriacos publicos Ministros bonorum sequestratio & confiscatio in Bavaria & Wittenberg. tollatur, ad quod ut naturale est, utraque aula ex debita sub omni respectu excolso Foederato suo æstimatione promptas se exhibuerunt.

Præterea Stuttgart. Ephemerides seqv. continent argumentum.

Immediato altissimo Jussu; aulicus Medicus D. a Klein, qui sectionem Cadaveris sub die in area Lazareti proxime compito publico suscepit, ob offensivam ultra modum actionem hanc, non modo coram pleno Politicæ Personali seriam sustinuit reprehensionem verum & mulcta 20 Imper. punitus est. Stuttgardæ die 7. Apr. 1810. „Regia Suprema Politicæ Directio.

*Terræ — regiones.*

Dum phantasie indulgere lubet, ejus ambitum in immensum adumbrandi gratia dicitur Terra, „terræ sunt plenæ gloria ejus” at dum de singularibus definitis alicujus totius partibus sermo instituitur & has numeris insuper designare placet, vocabulo *regionum* utimur — Ahasveros erat rex super 127 *regionibus*. Napoleo dominatur terris & *regionibus*. — Cui dominantur, amabo — Angli? — Nequaquam *terris et regionibus*, verum enim vero — *maritimis aquis*.